

1.
D. D.
Dissertatio Academica,
De
Usu

*Principiorum Psychologico-
rum in intellectu puero-
rum excolendo,*

Quam,

Suffragante Ampl. Senatu Phil. in Reg. Acad. Aboënsi,
Publicæ Candidorum disquisitioni subjiciunt

Elias Stadius

Philos. Mag.

Et

Carolus Gustavus Broman,

Australes.

In Aud. Minori die XI Decemb. Anno MDCCXC.

H. A. M. S.

ABOÆ, Typis Frénckellianis.

D. D.
Diploma Academicum

D.
U.

Principiorum Psychologica-
rum in intellectu puer-
rum excolendo

Quam

Prof. Carolus Gustavus Brownus
Publico Examinando Dissertatione subijcit

Eliae Stadius

Prof. Mag.

Carolus Gustavus Brownus

Auctor

In Haerlemo XI Idibus Junii MDCCCX.

A. B. O. M. Typis Trenchardianis



§. I.

Quo gravius est opus, quod quis aggreditur, eo magis certe ad principia, ex quibus rei suscipiendæ felix dependet successus, nota sibi reddenda obligatur. Quod cum non facile quispiam negaverit, speramus fore, ut omnes nobiscum consentiant, cum urgemus, quosvis liberorum educationem, laborem sane arduum, adituros maxime in id incumbere debere, ut præcepta, ad quorum tenorem liberi rite sunt educandi, probe sibi perspecta reddant. Quicumque igitur tenella formabit ingenia, cognitione naturæ indolisque mentis humanæ eo magis sit instructus, oportet, quo certius est, sine hac consulta, operam ejus, ut perverso susceptam modo, optato carituram successu. Si firmo semper stat talis effatum CICERONIS: *in hoc sumus sapientes, quod naturam, optimam ducem, tanquam Deum, sequimur, eique paremus* (*); in liberis certe educandis, is maxime observandus est ordo, ut ne quid invita natura tentemus. Quem usum *chemica* ipsius soli notitia, principiaque *Physica & Historica*

A

ria

(*) Cato Major s. de senectute, Cap. II.

riæ naturalis recte percepta præstant agrum rite colenti, eundem, si non majorem, *Psychologica* animi humani cognitio præbet homini, alios feliciter educaturo. Educatio nempe, latiori suo sensu sumta, id præcipue spectat, ut intellectus disciplinis imbuatur utilibus, voluntasque ad bona sectanda flectatur & incitetur. Quomodo autem *Psychologica* præcepta ad hunc utrumque scopum attingendum adjuvent, ostendi perspicue potest, & ab acutissimis viris jam ostensum est: cui vero operi rite pleneque peragendo non sufficere ingenii nostri tenuitatem, libenter fateamur; præterquam quod arcti, quibus circumscribimur, cancelli a tanto censilio persequendo nos abstineant. Quamobrem cum ea præterea sit naturæ humanæ indoles, ut voluntas sequatur intellectus dictamina, (latiori utrumque nomen sensu sumimus) illiusque emendatio hunc semper requirat ideis vere utilibus auctum atque collustratum; hanc divitis argumenti elegimus particulam, in qua explicanda vires juveniles periclitaremur, ut his pagellis usum ostenderemus, quem præstat scientia *Psychologica* iis, quorum officium est, intellectum liberorum excolere & quasi formare, variisque utilibus eundem instruere notitiis. Quod cum fecerimus, L. C. benigniorem censuram, qua par est observantia, expetimus nobisque pollicemur.

§. II.

Intellectus liberorum cultura in eo consistit, ut
ge-

genuinæ rerum obvenientium ideæ illis inculcentur, veritatique convenienter in judicando & cogitando versari sensim discant & advescant. Homo, utpote intellectu præditus, variarum quidem rerum ideas sibi formandi, judicandi & ratiocinandi gaudet facultate; sed tantum tamen abest, ut naturæ quadam necessitate ductus, res tales semper, quales vera sunt, sibi repræsentet, ut potius ab errandi periculo minime liber, præjudiciisque abreptus falsum sæpissime pro vero habeat, & contra. Intellectus scil. humanus arboribus quibusdam similis est, quæ quo negligentius curantur & coluntur, eo peioris saporis ferunt fructus (*). Quo minus intellectus facultates, primis præcipue annis, in vero exquirendo exercentur, eo tardius ad plenum usum intellectus pervenit homo, eoque proclivior est ad notiones a veritate alienas sibi formandas, sententias falsas fovendas, judiciaque de rebus occurrentibus absone ferenda. Quod cum ita sit, maxime certe necessarium est, ut homines rite manu quasi ducantur, ea præsertim ætate, qua intellectus suam exserere incipit vim, ut in veritate perspicienda eaque investiganda, illo rite uti discant. Neque tamen putet quisquam, nos heic simul contendere, vel optima educatione & manu ductione

A 2

id

(*) Ποῖα δὲ δένδρα; ἐκ ὀλγωρηθέντα μὲν σρεβλὰ φύεται, καὶ ἀκαρπὰ καδίσαιλοι, τυχόντα δὲ ορθῆς παιδαγωγίας, ἔγκαρπα γίνονται καὶ τελεσφόρα PLUTARCHUS de Puerorum institutione Cap. IV.

id effici posse, ut liberi, quam primum ad usum rationis pervenerint, veritates mox ipsi per se perspiciant, aut singulos, crescente ætate, æquali successu ad habitum ideas rerum sibi formandi distinctas perducere possent: utrumque enim experientiæ repugnat, quæ docet, magnam hæc cerni differentiam, pro diversa discipulorum indole, diversisque animi & ingenii dotibus. Quantumvis autem diversa sint ingenia, debita tamen informatione & institutione magis minusve excoli possunt. Informatio seu institutio omnis (qua formam) id pro scopo habebit, ut *primo discipulos res varias utiles, quæ illis traduntur, memoria retineant; deinde res sibi propositas intelligant; postea, quæ partem saltem, ex rerum cognitione grato vel ingrato afficiantur sensu; porro proprio Marte cogitare discant; Et denique vel loquendo vel scribendo aliis sensa sua nota reddere sciant* (*). Quibus rebus feliciter promovendis quantum bona & naturæ liberorum informandorum diligenti cognitione fundata methodus inserviat, in sequentibus ostendere conabimur.

§. III.

Diximus illi, qui intellectum liberorum rerum utilium cognitione imbuere instituit, curæ cordique esse

(*) Confr. Celeb. ER. CHR. TRAPP Versuch einer Pädagogik, dritter Abschnitt, §. 71. e quo egregio libello nos, hanc materiam tractantes, multum percepisse fructum, fatemur.

se primum debere, ut Memoria tenaciter res sibi traditas teneant discentes; ut autem noster jam non est scopus, omnia memoriæ juvandæ adferre adminicula, ita pauca tantummodo & quæ primaria nobis visa sunt præcepta, quibus observandis memoriam excoli docent Psychologi, in medium proferemus. Experientia igitur ratioque eam esse animi humani indolem demonstrat, ut quo clarius distinctiusque res quædam proposita perspicitur, eo etjam altius menti ac memoriæ infigatur. Patet hinc eos, quorum est juventutem informare, maxime in id incumbere debere, ut cuncta quæ proponunt, quantum fieri possit, perspicua reddantur; quod nisi fiat, res illæ obscure perceptæ, non possunt quin e memoria celeriter admodum elabantur, quum Imaginationi, memoriæ adjutrici, vix ac ne vix quidem sisti queant. Hæc enim quo suam exferat vim opemque memoriæ ferat, ideas supponit in serie quadam existentes; quæ vero series in ideis mere obscuris observari haud potest. Nec parum ad res memoriæ infigendas conducit, si vivide proponantur, ut cum sensu & animi quadam delectatione discantur. Quo enim vividius quidquam nobis repræsentatur, eo majorem habere solet vim ad excitandam attentionem, cujus in rebus memoriæ mandandis necessitatem nemo non videt. Animi porro humani consideratione docemur, ejusmodi facillime memoriæ infigi ideas, quæ cum aliis ejusdem generis antea habitis quæque nobis tum gratæ obvene-

runt, connexæ & associatæ repræsentantur. Ex doctrina enim illa celebri de *Idearum* nostrarum *associatione* constat, notiones omnes firmiores & efficaciores fieri, faciliusque in mentem & memoriam revocari posse, pro multitudine rerum antea cognitarum cum quibus junctæ menti sistuntur. Sequitur hinc, in memoria juventutis rerum utilium ideis ditanda, curandum esse, ut novæ istæ ideæ, cum prioribus antea jam familiaribus, aliquem habeant nexum, isque sit ordo propositionum, ut præcedens in se contineat rationem sequentis. His jam allatis memoriæ juvandæ adminiculis, addere licet crebram repetitionem. Quemadmodum res variæ liberis, cerebro, memoriæ organo, molli adhuc existente, facile inculcantur, ita & cito, omiſſa repetitione, animis inconstantibus excedunt. Quí itaque intellectus juventutis illuminandi negotio operam navant, non gravem sibi ducant laborem, res memoriæ mandandas, frequenter animis tenellis sistere, quo sic uberiores improbi hi percipiant laboris fructum.

§. IV.

Licet autem memoria variis rebus referta, maximum habeat momentum ad intellectum illuminandum, non omne tamen tulisse punctum censendus est, qui hanc locupletavit; sed laborandum simul est, ut ea, quæ memoria tenent liberi rite intelligant; atque de

de iis aliquid cogitare ipsi ac judicare discant. Informatio bene & sapienter instituta, eam discitentibus adferet utilitatem, ut discrimen inter veritatem & errorem perspiciant, illam sequi, hunc vero evitare queant. Qui finis ut obtineatur, ante omnia cavendum, ne falsis rerum quarumcunque conceptibus sibi formandis adsuescant. Melius certe cum juventute agitur, si paucas rerum obviarum habeat ideas, quam si plurimas sed falsas de eisdem foveat opiniones. Primæ namque rerum seu naturalium seu moralium ideæ sunt quasi principia reliquarum. Ubi illæ falsæ & indeterminatæ sunt, in has perniciosam habent vim & efficaciam. Rerum imagines, omnium primo menti impressæ, altissimas agunt radices & diutissime eidem adhærent; quas itaque veritati convenientes esse, oportet, ne in varia diverticula perniciosissimosque nos inducant errores. Et licet vel maxime concedamus, fieri posse, ut homo maturiori ætate, erroris præconcepti vincatur, semper tamen accuratissime sibi caveat necesse est, ne notiones opinionesque erroneæ, ab incunabulis jam animo inhærentes, per *associationem Idearum* recurrant, suamque in notionibus jam formandis judiciisque ferendis, noxiam exercent vim & efficaciam.

§. V.

His jam prænotatis, paucis est ostendendum, quo ordine & qua ratione is procedere debeat, qui, ut discen-

scientes res sibi propositas intelligant, efficere voluerit. Homines ætate præsertim puerili, sensuum vi nimis subjecti sunt, animoque valde inconstantes; unde fit, ut ad res severas, abstractas sensibusque externis subductas ægrius attendant. Neque hoc mirum, cum organa eorum sensoria admodum adhuc mollia efficiant, ut rebus variis externis & probe cognitis vel paululum eos adficiantibus, facile permoveantur, impressionumque etiam minimarum sequantur ductum. Ipsa præterea rei natura postulare videtur, ut in rebus variis proponendis a simplicioribus & perspectu facillimis, initium fiat, & ut labor tandem pro auctis discientium viribus augeatur. Hinc jure statui & posse & debere nobis videtur, liberis optime consuli, si res singulares, (individua vulgo dictæ), & sensuales, ut gratissimæ & perceptu facillimæ, illis primum tradantur, & qua fieri possit perspicuitate explanentur. Deinde vero, crescente ætate atque facultate nexum perspiciendi rerum, pedetentim ad res quæ abstractæ dici solent & universales, progrediendum (*). Cui ita-

(* Quam parum consultus quamque a natura liberorum alienus sit ordo, qui in eis formandis vulgo servatur, sapienti cuique apparet. Libri alphabetarii & Catechismi, omnium primo in manus tironum traduntur. Quos libros, res licet plerumque mere abstractas, universales & tironibus incomprehensibiles, summa nempe religionis etiam theoreticæ capita imò ejusdem etiam mysteria continentes, liberi diligen-

itaque incumbit liberis copia idearum augere, eum
 imprimis laborare oportet, ut cognitio eorum quan-
 tum fieri possit *intuitiva* reddatur. Hinc a rebus sen-
 sualibus & vere existentibus, vel earum saltim ima-
 ginibus aut pictis aut sculptis qua fieri potest perspi-
 cuitate, ostendendis ordietur, exempla quoque rem ma-
 xime praesentem illustrantia proferat, opus est. In
 elementis autem religionis tradendis, aliisque rebus
 proponendis sensualem non admittentibus explicandi
 rationem, caute procedendum, nec cuncta religionis
 mysteria mox ab initio infantibus inculcare consul-
 tum videtur, sed ea praesertim de Summo Numine e-
 jusque proprietatibus, a posteriori, ut dicitur, imbu-
 endi sunt notitia tirones, qua ad verum ejus amorem
 atque reverentiam animis tenellis instillandam opus
 est. Ex tali simplici docendi methodo, permultum
 sane & *docens* & *discentes* lucrabuntur. Ille id com-
 modi hinc experietur, ut liberis totos sibi devinciat,
 fidem apud discipulos inveniat, sinceroque ut se am-
 B ple-

ter perlegere & accuratissime memoriae mandare co-
 guntur. In lectionibus, (quas raro memoriter rite
 recitare, multo minus intelligere possunt infantes)
 examinandis, a verbis ad verbera non raro itur, ut,
 quod alia ratione animo infigi nequit, flagris incu-
 tiatur: unde fieri non potest, quin ingenia erectiora
 obtundantur & insuperabile rerum scitu maxime ne-
 cessariorum, iis ingeneretur tedium. Confr. quae pra-
 clare de hac re disputat TRAPP l. c. p. 48. seqq.

plectantur amore efficiat. Hac re tantum simul valet, ut discentes ad res sibi traditas melius attendant, & lubentius memoriae easdem mandent. Quod quantum docentis laborem alias tædiosum, levet & mitiget, expertum fugere potest neminem. Ad ipsos vero discentes ille procul dubio redundat usus, ut scitu sibi necessaria, cum sensu quodam voluptatis, & consequenter sine tædio discant, cupiditasque plura discendi apud eos excitetur.

§. VI.

In intellectu porro formando, ea observanda est cautela, ut diversa observetur institutionis ratio, pro diverso instituendorum captu & ingenio. Sicut in universum intellectus humanus est limitatus, arctisque valde circumscriptus cancellis, ita de liberis multo magis hoc valet. Sensualibus igitur maxime adhærent ideis, ut supra observatum, nec plures simul sublimiores inprimis & captum eorum superantes veritates perspicere & comprehendere valent. Sequitur hinc, ut nullas unquam illis inculcare conari ideas, debeamus, quas vel per ætatem teneram, vel ob defectum cognitionis in antecessum necessariæ, expectari vix potest ut sibi formare valeant (*). Qui vero

ro

(*) Attendi merentur verba Celeb. TRAPP in hunc sensum allata: Man muß keine wirkende Kraft erwarten, wo man keine kån nende Kraft hineingelagt hat, und man



)

(



ro alios docent, discipulorum cognitionis gradum sibi perspectum habeant, ad eumque sese accomodare sciunt, necesse est. Omnes igitur res, quarum cognitione intellectum liberorum imbuere volumus distincta, cum aliis antea illis familiaribus nexum aliquem habeant, oportet; alias enim iis incomprehensibiles manent, nec rite ab eis perspiciuntur. Hinc aliter fieri non potest, quam ut harum rerum illos pertædeat, attentionemque suam in objecta alia sibi cognita, ut plurimum vertant. Cujus incuriæ causa, in ipsa mentis eorum natura, rerum imprimis sensualium capacis delitescit. Hinc adparet, quam absouum sit & a naturæ consilio alienum, ejusmodi tironibus proponere res, quarum homines sæpissime, ætate licet proveciores, ideas vix sibi formare valent distinctas. Qui in intellectu iuventutis formando tam peruerso procedunt ordine, oleum sæpissime perdunt & operam, animisque discipulorum insuperabile institutionis ingenerant odium. Quæ de rebus, tironibus incomprehensibilibus in memoria remanent, opinione citius effluunt: Eæ tantummodo res, quæ ab intellectu simul comprehenduntur, illam habent vim, ut nulla eas facile deleat oblivio. Liberorum itaque institutores, de ea re sollicitos esse oportet, ne discipuli vo-

B 2

ca-

muss nur so viel von jener erwarten, als man von dieser hineingelegt hat. Man muss also nichts weniger als ein Subjekt zwingen, Kräfte zu äussern, die es auch nicht haben kan. l. c. p. 242.

cabulis adhibendis adſueſciant, quorum poteſtatem ſibi
 perſpectam non habent, ſed, ut cum vocabulis eiſdem
 vere reſpondentes, conjungere ſciant ideas. Non i-
 gitur cogendi ſunt liberi meras recitare nomenclatur-
 ras, aut terminos, quibus nulla in mente reſpondet
 notio. In lingvis etjam peregrinis diſcendis, ideæ u-
 nacum ipſis vocabulis phraſibusque quantum fieri po-
 teſt, familiares reddendæ. Modi loquendi, qui vel
 ab ipſis liberis conſuetudine adductis, vel ab aliis, vel
 in libris quos legunt, adhibentur, quosque eos non
 rite intelligere ſuſpicamur, diligenter explicandi ſunt.
 Reſ ipſæ ſingulares & vere exiſtentes per vocabula
 designatæ, quoties fieri poteſt, oſtendendæ, vel ea-
 rum ſaltim proprietates & affectiones ita explicandæ,
 ut ſenſibus quaſi externis percipiantur. In rebus ve-
 ro abſtractis, & quarum ea eſt indoles, ut ſenſus ef-
 fugiant externos, a tironibusque comprehendere neque-
 ant, ita procedendum, ut admoneantur liberi, ne ter-
 minis, has reſ denotantibus, abutantur, falſasve cum
 iisdem conjungant notiones, ſed pro meris ſignis ſo-
 nisque quorum ſignificationem maturiori demum æ-
 tate olim diſcent, habeant. Patet hinc, in rebus pro-
 ponendis non licere nimis eſſe brevem, & fugitive
 tantum nonnullas quaſi in tranſcurſu tangere; ſed gra-
 datim & quaſi per partes eſſe eundum. Sæpe enim ac-
 cidit, ut unum vel alterum vocabulum bene haud in-
 tellectum, totam obſcuret rem. Accedit, quod reſ
 aut ejus ſignum, male ab initio perceptum, pernicioſam

fam per totam fere vitam habeat vim: putant nempe homines sese hoc vel illud vocabulum diu jam probe intellexisse, & interim tamen etiam in ætate jam virili, aut nullas, aut falsas cum iisdem conjungunt notiones. Quantumvis autem necessarium sit, ut liberi ea quæ illis inculcantur, probe intelligant, non nostra tamen est sententia fieri posse, ut omnia mox distincte pleneque perspiciant. In vita namque communi varia arripiunt vocabula, quorum potestatem, sensu rigido & Philosophico vix comprehendunt, ideasque iis respondentes sibi formare discunt, primum licet obscuras, menti tamen alte infixas ac claritate sensim crescentes. Sic loquendi formulæ in sermone quotidiano adhibitæ: *impossibile, honestum, decorum* est, virtutum vitiorumque nomina & aliæ hujus generis dictiones, plene quidem a tironibus mox non perspiciuntur, ita ut eas definire valeant: suo tamen hæc ideæ obscure licet præceptæ, non carent usu. Tantum itaque mox sub lectione explicentur, quantum vel ad rei propositæ intelligentiam necessario requiritur, vel quantum temporis & captus discendum ratio patitur, nec sine urgente necessitate rebus sibi incomprehensibilibus sensusque eorum vix afficientibus juvenes obruantur (*).

§. VII.

Qui intellectui liberorum formando operam im-

B 3

pen-

(*) Vide TRAPP l. c. pag. 396.

pendunt, in id porro incumbere debent, ut res, quæ immediate tendunt ad praxin voluntatemque flectendam, (quales sunt quæ in religionis & morum doctrina tractantur) cum sensu quodam conjunctæ, ab iis percipiantur. Quod vero qua ratione optime fieri queat, ex Psychologicis edocemur principiis: suadent nempe hæc, ut docens ea, quibus commoveri cupit discentes, non frigida ipse proponat mente, verum eodem sensu se vere affectum præbeat, quem apud discentes excitare velit. Ex *Symbathia* videlicet animis hominum inditæ vi, accidit, ut juvenes contagione quasi quadam capti, eosdem facile concipiant & prodant sensus, quibus commotum viderunt Doctorem. Ea præterea mentis nostræ est indoles, ut *intuitiva* magis quam *Symbolica* cognitione ad appetendum & averlandum, permoveatur. Ante omnia igitur id Doctoribus curæ esse debet, ut hujusmodi cognitione juvenum imbuantur animi: hæc demum iudicium excitare valet, sine quo appetitus vel averfatio vix unquam oritur. Haud itaque expedit, veritates sensum excitaturas, prolixè & subtiliter excutere atque persecare, sed potius interest vividis eisdem depingere coloribus. Quantum autem vivida hujusmodi cognitio habeat momentum ad intellectum formandum, ex principiis etiam Psychologicis novimus: quo enim vividius fortiusque ideæ quædam nos movent, eo altius menti infiguntur, eo diutius eidem in hærent, eo efficaciores sunt, eoque etiam majorem ha-

habent vim ad alias sibi associatas ideas excitandas
clarasque easdem reddendas.

§. VIII.

Nec parum ad intellectum liberorum rite formandum confert, si mature ita manu quasi ducantur, ut in verba non semper jurent Magistri, verum ipsi etiam per se cogitare, & in causas rerum obvenientium, pro modulo virium, inquirere discant. Ætas puerilis valde esse solet credula, & ad fidem illis præcipue habendam, quorum auctoritati fident, quorumque ab ore pendent, admodum prona. Quod licet in se non prorsus sit reprehendendum, sedulo tamen monendi sunt juvenes, ne præjudicio, quod auctoritatis appellare moris est, occæcati, cuncta sibi absque discrimine persuaderi sinant. Cui rei ut occurratur, juvat tironibus non tantum dicere, hanc vel illam rem his vel illis proprietatibus gaudentem existere, sed eos simul instruere, cui usui hæcce res inserviat, cur existat ea hoc- & non alio modo, cur has non alias habeat affectiones &c. Venia pueris etiam danda quærendi de rebus, quod libuerit, ut judiciis suis de rebus occurrentibus interponendis assuefiant; nec cogendi in opinionibus Doctorum, ob auctoritatis, sed argumentorum vim acquiescere: Quod ubi contra fit, accidit, ut ipsi maturiori olim ætate nihil ferre cogitare, sed aliorum modo dicta & cogitata Psit-
[ta-

tacorum instar repetere queant. Ut tirones sane cogitare ac judicare discant, abs re non erit, varia variorum hominum, de rebus judicia nota illis reddere, eisque permittere, quodnam horum maxime sibi placeat, libere indicare: ubi vero erraverint, quod facile fieri potest & solet, comiter, non objurgando aut minis adhibitis sunt corrigendi. In viam qua veritas indagatur, falsaque deteguntur, sunt ducendi, probeque docendi cur sic non aliter judicandum & ratiocinandum sit. In vita communi multæ sese offerunt res, in quibus judicium suum exercere utiliter possunt. Ut juvenes ipsi perse, ideas rerum sibi formare discant, prodest etiam ipsum res tractandi modum quantum fieri possit variare, & ab iisdem dicendi formulis ad alias eosdem deducere; hinc cogitatis suis libere exponendis, lectis auditisque propriis verbis recitandis, rebusque obviis describendis primum, & dein definiendis adsuesiant, necesse est. Quo ipso, præterquam quod judicandi facultas acuitur, simul efficitur, ut scopus ille ultimus quem spectare debet intellectum liberorum rite formaturus, obtineatur, ut videlicet sensa sua verbis & scriptis cum aliis communicare sensim discant juvenes.

§. IX

Hæc paucis jam allata, præcipua nobis visa sunt præcepta ex principiis Psychologicis deducta, quæ

quæ in intellectu juventutis formando generatim observari debent. Quum autem vel optima adhibita methodo, parum aut nihil fere effici possit, nisi discen-tes ipsi sincera discendi cupiditate capti, ad res sibi propositas avide seduloque attendant; nonnullas coronidis loco adferre lubet regulas, quas, ut attentio, cum discendi ardore conjuncta, apud tirones excite-tur alaturque Psychologica mentis humanæ cognitio sequi jubet. Ideas attentionis inprimis ope animo in-geri, constat: hæc itaque bonis modis, non flagris nec torvo vultu, elicienda; tantum enim abest, ut timor ex intempestiva severitate ortus attentionem ex-citet, ut ejusdem potius vim distrahat disturbetque. Ut igitur attentio sustentetur, familiariter semper di-scipulis uti oportet Doctorem, hilaremque se illis præ-bere. Nec parum attentioni alendæ inservit, si varie-tas quædam, tam verum proponendarum, quam modi easdem tradendi adhibeatur: ea enim varietatis pruden-ter usurpatæ est vis, ut non delectet tantum, sed & fa-ciat, ut attentio continuetur. Res eædem, eodem mo-do iisque dicendi formulis sæpius auditæ, non possunt quin nauseam tandem moveant, totamque frangant at-tentionem; novo vero quasi habitu cum induuntur, acci-dit, ut infantes rerum novarum curiosi, haud inviti sæ-pe ad easdem attendant. Imbecillitatis infantum me-mores, probe sibi cavere oportet Docentes, ne multa simul legendo, audiendo memoriæque mandando fati-gentur discipuli, eo enim factò, de tota cito actum erit

attentione. Brevia igitur sint præcepta; nec putandum, eum Doctorem discipulis optime consulere, qui rerum verborumque copia eos obruit; tantum enim abest, ut res multæ simul propositæ memoria juvenum comprehendi queant, ut omnem potius attendendi vim pene suffocent. Nec per plurium horarum spatia uno loco sedere, rebusque severis & mere intellectualibus sese occupare, cogendi sunt, quod certe indoli & naturæ puerorum e diametro repugnat. Haud facile est determinatu, ubi naturalis attendendi potentia cesset, atque incuria & negligentia voluntaria incipiat: ægre hoc in nobismet ipsis, multo minus in aliis detegere valemus. Defectus igitur attentionis, non semper supinæ puero- rum pigritiæ, verum sæpe naturæ ipsius vitio tribuen- dus est. Qui, ætate jam proveci, tironum facultates, suis metiuntur viribus, procul dubio falluntur, & æta- tis juvenilis imbecillitatem sese ignorare produnt (*). Ne porro confundantur tirones, admodum diversæ mul- tæque res simul non sunt tractandæ, sed determinatum aliquod tempus uni disciplinæ addiscendæ impendatur; interim tamen, ad tædium despellendum, aliquid interdum quod magis placeat, inspergatur, necesse est: quod vero ubi fit, inspersa nexum vel saltim relationem quan- dam cum antea traditis habeant, oportet. Ac quam- quam voluptates omnino juvenibus, ut infra ostende- tur,

(*) Confr. quæ de hac re præclare disputat TRAPP I. c. p. 239.

tur, non sunt denegandæ; diligenter tamen ab omnibus libidinibus, voluptatibus sensuum & ludis, qui animos eorum nimis falcinant & attentionem ad res serias torpescentem reddunt; quantum fieri unquam possit, in primis sub lectione, discipuli removeantur.

Cum vero ut ad res sibi ingratas attendant liberi, frustra expectatur; summa ope eniti debent Docentes, ut omni qua fieri possit ratione, institutionem discipulis gratam reddant, discendique ardorem apud eosdem sustineant. Quod enim non lubenter & cum animi quadam voluptate peragitur, raro prospere succedit. Ac vulgarius nihil est, quam ut res, quæ cum sensu quodam tædii conjunctæ menti primum sistuntur, per totam fere vitam ingratae maneant. Sic etiam per eandem *associationem idearum* accidit, ut quibus lectio pueris ingrata reddita fuit, ii maturiori etiam ætate, de utilitate studiorum licet jam persuasissimi, semper tamen literas odio habeant, ægreque perduci possint, ut aliquid iisdem tribuant temporis. Accedit, quod libertas, qua nullo impediante hominibus uti licet, nobiliores eos reddere viresque eorum agendi plerumque augere soleat, quum e contrario, opus coactum, perficienti semper molestissimum videri constet. Liquet hinc, quam sit necessarium, ut in educationis ratione curanda, intellectuque maxime juventutis formando, quam minima ac fieri possit, adsit vis & coactio, ne tædio, omnem discendi ardorem sensim suffocanti, mentem præmature invadendi opportunitas præbeatur. Cui itaque studio-

rum satietati ut obviam eatur, tantum ab est, ut more imprudentum quorundam parentum, liberis laborem litteris olim impendendum molesti cujusdam officii nomine imponamus, multoque minus poenæ instar iis comminemur, ut potius lectionem tanquam maxime utilem jucundissimamque occupationem & prærogativam singularem, magnopere laudemus celebremusque, quo sic gratus quidam studiorum quasi prægustus animis eorum infundatur. Ea nempe est natura hominum, ut nihil ferre appetant, nihil animum eorum majori afficere valeat voluptate, quam quod sibi maximi esse videatur momenti, quodque insignem aliquam ad salutem suam promovendam, habere vim & efficaciam intelligant. Doctrina igitur, ut innumerabilium bonorum fons & scaturigo vivide, sed simpliciter tamen & citra omnem caliditatis suspicionem, proponenda, & præceptorum tradendorum utilitas summo nisu demonstranda. Quoniam autem ætas in primis juvenilis, voluptatum sensu alium quam rationalium avidior, majori semper fertur vi ad bona præsentia appetenda quam futura, quibus parum aut nihil movetur; sequitur, non sufficere, eos tantum liberis conspiciendos præbere fructus, qui ex diligentia & opera litteris navata olim ad illos redundabunt, verum commoda industriæ maxime præsentia, eandemque mox consecutura, sistenda esse. Cunctæ igitur quæ junioribus præsertim traduntur res, qua partem quæ illis est gratissima, semper ostendendæ, ususque scientiæ traditæ practicus data occasione ad captum di-

discientium accomodate, & qua fieri potest brevitate ante oculos ponendus. Ea, quæ in se & sua natura minus grata sunt & aridiora, facetiis & condimentorum quadam dulcedine, ad tedium dispellendum adspargantur, oportet. Quo autem liberi evidencias utilitatem perspiciant eruditionis, quoque magis ad sedulam litteris operam navandam incitentur, juvat etiam præmiorum spe & prudenti liberalitate eos interdum quasi palpare, ac veras meritasque eorum prædicare laudes; quod tamen posterius ne intumescant & pavonum instar cristas erigant, cautissime fiat necesse est. Editis insignibus diligentia documentis, hilari comique fronte declaret docens, quam vehementer sibi placeat discipulorum industria, eorumque in literis progressus; & insimul ostendat quam valde parentibus bonisque omnibus probentur. Negligentia vero atro semper notanda carbone, ejusque incommoda vividis depingenda sunt coloribus. Absit ab illis quorum curæ liberorum institutio commissa est, mos ille perversus, quem haud paucos sequi proh dolor! videre licet. Qui labori parcentes suo, lectiones nulla earum explanatione & illustratione præmissa pervolvendas tradunt discipulis, easdemque ut memoriter recitare discant, minis & flagellis tironibus injungunt: unde fieri non potest quin omnis discendi ardor extinguatur, animique penetrabilibus, studiorum odium ingeratur. Quamquam vero urgemus necesse omnino esse, ut juvenes maturiori ætate, libris attente legendis adsuefiant, sensumque horum ipsi per se eruere discant; putamus tamen, per colloquium familiare potius, quam rædiosam librorum lectionem præcepta primum incipientibus magisque tironibus esse tradenda, sed ita tamen, ut quem cogitandi ordinem sequantur Informator & Discipuli, præsentis libri ostendant. Quam enim omnem fere discendi cupidinem supprimat assidua lectio, Doctoris nullo auxilio sublevata, licet non fustibus sed bonis modis elicitæ,



tristis sæpe docuit experientia. Supra jam diximus naturæ juventutis haud convenire, ut per plurima horarum spatia, lectione & rebus severis occupetur; hinc quo tædium inde oriundum evitetur, prodest, lectionem non certis semper alligare horis, sed otium ante statutum quoque tempus liberis permittere, si bene sua obsolverint pensa. Concedendum etiam est illis aliquod tempus, quod impendatur ludis innocentibus & honestis moresque non corrumpentibus, ne animi tenelli laboris multitudini succumbentes, omnem ulterius laborandi molestiam in se suscipere præmature detrectent (**). Addere plura liceret ad hujus doctrinæ momentum illustrandum, quibus autem diutius immorari, brevitatis nobis proposita non permittit; ulteriori itaque hujus materiæ expositione supersedemus, sperantes vel ex dictis liquere, eam educationis partem quam tractavimus, Psychologicis niti atque indigere principiis, quæ eorum, qui juventuti instituendæ operam suam dicarunt, perspecta sibi reddere & diligenter sequi, pœnitebit neminem.

(**) Bene omnino & naturæ humanæ convenienter affectit PLUTARCHUS, animam mediocribus quidem laboribus augeri; immoderatis autem submergi. Unde recte concludit: Δοτέον ἐν τοῖς παισὶν ἀναπνοὴν τῶν συνεχῶν πόνων De pueror. instit. Cap. XXI.

